

consuetudine homines usi quo satisfacere Prometheo uiderentur, annulos lapide & ferro conclusos habere cœperunt. Nonnulli etiam coronam habuisse dixerunt, ut se uictorem impune peccasse diceret. Itaque homines in maxima læticia uictoresque coronas habere constituerunt. Id in exercitationibus & conuiuibus perspicere licebit, sed opinio est: ad initium et interitum aquilæ reuertamur. Hercules missus ab Eurystheo ad Hesperidum mala, nescius uiae deuenit ad Promethea, quem in Caucaaso monte uinctum supra diximus. A quo uia demonstrata, partaque uictoria ad eum iter facere contendit, ut & draconem, de quo ante diximus, interfectum diceret & gratiam pro beneficio redderet. Nam cœlestium honorem quem potuit reddidit merenti.* Qua dimissa homines instituerunt ut hostiis immolatis iocinora consumerent in deorum altaribus, ut saturare eos per uiscera uisceribus Promethei uideretur. Vt Eratosthenes autem de sagitta demonstrat, hac Apollo Cyclopas interfecit, qui fulmen Iouis fecerunt, quo Aesculapium interfectum complures dixerunt. Hanc autem sagittam in Hyperboreo monte Apollinem defodisse, cum autem Iupiter ignouerit filio, ipsam sagittam uento ad Apollinem perlatam, cum frugibus quæ eo tempore nascebantur. Hanc ergo ob causam inter sidera demonstratur.

Deest, & aquilam quæ icur eius excedebat, sagittis interfecit, aut simile quidpiam

De Aquila.



Quila hæc est quæ dicitur Ganymedem rapuisse & amati Ioui tradidisse. Hanc etiam Iuppiter primus ex auium genere delegisse sibi existimatur, quæ sola tradita est memoriæ, contra solis orientis radios contendere ualere. Itaque super aquatiu uolante uidetur. Hunc enim complures Ganymedem esse sinxerunt. Nonnulli etiam dixerunt Meropem quendam fuisse, qui Coam insulam tenuerit regno & a filia nomine Coon & homines ipsos à se Meropas appellaret. Hunc autem habuisse uxorem nomine Ethemeam, genere Nympharum procreatam, quæ cum desierit colere Dianam ab ea sagittis figi cœpit. Tandem à Proserpina uiuam ad inferos arreptam esse. Meropem autem desiderio uxoris permotum mortem sibi consciscere uoluisse. Iunonem autem misertam eius, in Aquilam corpus eius conuertisse, & inter sidera constituisse, ne si hominis effigie eum collocaret, nihilo minus memoriam tenens, coniugis desiderio mœreret. Aglaosthenes autem qui Naxica scripsit, ait, Iouem Cretæ surreptum, Naxum delatum, & ibi esse nutritum, qui postquam peruenerit ad uitilem ætatem & uoluerit bello lacecere Titanas, sacrificanti ei aquilam auspiciatam, quo auspicio usum esse & eam inter astra collocasse. Nonnulli etiam dixerunt Mercurium, alii autem Anapladem pulchritudine Veneris ductum, in amorem incidisse, & cum ei copia non fieret, animum, ut contumelia accepta, defecisse. Iouem autem misertum eius cum Venus Acheloo flumine corpus ablueret, misisse aquilam quæ soccum eius in Ægyptia Aegyptiorum delatum Mercurio traderet, quem persequens Venus ad cupientem sui peruenit, qui copia facta pro beneficio aquilam in mundo collocauit.

amphibaoniam

Delphin.



Itaque qua de causa sit inter astra collocatus Eratosthenes ita cum cæteris dicit. Neptunum quo tempore uoluerit Amphitritem ducere uxorem, & illa cupiens seruare uirginitatem, fugerit ad Atlanta, complures eò quæsitum dimisisse. In his & Delphina quendam nomine qui peruagatus insulas, alii quando ad uirginem peruenit, eiq; persuasit ut nuberet Neptuno, & ipse nuptias eorum administrauit. Pro quo facto inter sidera delphini effigiem collocauit. Et hoc amplius, qui Neptuno simulachrum faciunt, delphinum aut in manu, aut sub pede eius constituisse uidemus, quod Neptuno gratissimum esse arbitratur. Aglaosthenes autem qui Naxica cœscripsit, Tyrrenos ait fuisse quosdam nauicularios, qui Liberum Patrem puerum receptum, ut Naxum cum sociis suis comitibus transuectum, redderent nutritibus nymphis, à quibus eum nutritum, & nostri in progenie deorum & complures Græci dixerunt. Sed ut ad propositum reuertamur, nauiculatii spe prædæ inducti nauem auertere uoluerunt, quod Liber suspicatus, comites suos iubet symphonia canere, quo